



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

108. Fer. 4. Reliquia examina apud Pilatu[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

MEDITATIO CVIII.

Feria 4. Dom. Passionis.

Reliqua examina apud Pilatum.

Aspiciam Dominum coram Magistratu Politico jam tertio examinari, & semper innocentem pronuntiarum. Petam magis intelligere processum: cum Domino meo innocentissimo, & malitiam Judæorum.

Conf. 1. Quomodo Pilatus convocatis Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, & plebe dixit ad illos: *Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, & ego coram vobis interrogans nullam causam invenio in homine isto, ex his, in quibus eum accusastis, sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam: quasi dicat: propter disgustum, quem forte vobis dedit, vel aliquem excessum commissum, aut imprudentiam, aliquam poenam levi eum corripiam, & dimittam.* En jam tertio Christus innocens pronuntiatum.

Conf. 2. Quartum modum a Pilato tentatum, quo Christum liberaret, dum acrius accusaretur, Marc. 15. offerendo se ad dimittendum illis unum ex vincis: Fuit hoc dilemma Pilati: Si Christus non est reus, dimittetur; si reus est, non erit reus tam graviter, quin ei favorem facturi sint vitæ, præsertim

sertim si conferatur Barabbæ seditioso, & homicidæ: ait igitur: *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus? Principes autem persuaserunt plebi, ut peterent dimitti Barabbam, seditiosum quidem in civitate, sed Christum in tota Iudæa: illum homicidam, sed hunc blasphemum: ille quidem occidit hominem: sed iste templum Dei vult destruere: illum fore pro beneficio vitæ gratum, sed Christum innocentia suæ adscripturum, nec destitutum à cœptis: denique Pilatum posse dolo uti, & malum in Iudæos flectere apud Cæsarem.*

Conf. 3. Quintum modum à Pilato tentatum, quo Christum liberaret, intercedente uxore, Matth. 27. *Nihil tibi, & iusto illi: multa enim hodie per visum passa sum propter illum.* Non videtur à malo id, sed bono genio factum: malus enim potius corda Iudæorum, immediatas mortis Christi causas, flexisset. Interea populus: *Tolle hunc, inquit, & dimitte nobis Barabbam.* Luc. 23. Hæc postpositio fuit ingens Passionis Christi augmentum: quia cor generosum non tam sentit dolorē, quam honorem. *En IESVM despectum & novissimum virorum.* Isa. 53.

Conf. 4. Sextum modum à Pilato tentatum, quo Christum liberaret, dum ait: *Quid igitur faciam de Iesu?* ponit rem in illorum potestate.

potestate, ut clementiæ ipsorum totum attribuatur. Ita obsequio illos captans ac mitigans, inquit D. Chrysoſt: at illi dicunt omnes, & magis clamant: *Crucifigatur.* Verè dixit D. Ambr. *Qui odit innocentiam, scelus diligit.* Reflectam me quomodo in postpositionibus me habeam, an unquam tanta mihi contigerit, quanta D. Iesu publicè postposito Barabbæ? quid ergo cōqueror, & cōcido?

MEDITATIO CLX.

Feria, 5. Domin. Passionis

Crudeles duodecim contumeliæ in Christum, in domo Pilati.

PONAM ob oculos sequentes 12. contumelias in Christum patratas, & præsertim peccus DEO plenum sulcari flagris. Petam agnoscere Domini patientiam, & imitari.

1. Contumelia fuit denudatio, Matt. 27. *Congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum: licet enim non haberet nisi tantum similitudinem carnis peccati, de ea tamen sic oritur pudor, ut de veritate, quia in vituperio hominum non differunt esse & apparere.*

2. Flagellatio: *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit* Ioan. 19. Honestatis auctorem non mortuum, sed vivum ad columnam facie versâ cædi sine lege jubet, & ego